

nummis, in faxis literatis, in anaglyptis, vasis, sigillis, simulacris, & id genus aliis, operæ posuerat, & sub ima tellure multis anteaetis seculis delituerat, nunc demum e latebris eductum, in Capitolina arce atque in Vaticana Bibliotheca collocatum conspicitur, & in Regiis illis Tuis potissimum Ædibus, in quibus pretiosissimam materiam elegantissimum superat opus, accolis juxta & convenis gregatim confluentibus, miro artificio dispositum, spectandum se se præbet. Quid vero loquar de benignissima Tua comitate, qua universos quidem, quibus facilis ad Te patet aditus, at eos præsertim excipere soles, quorum patrocinium suscepisti; Syros nempe, Maronitas, ejusdemq; gentis Monachos Ordinis S. Antonii, qui paterni amoris argumenta opemque Tuam nunquam defuisse sibi experti sunt. Ad Vaticanam denique Bibliothecam ut redeam, unde initium hujus meæ Epistolæ duxi, diem nullum præterire gaudemus, quo non
eam;